



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Agenda, Sev Ritvale Osnabrvgense**

**Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>**

**Coloniæ Agrippinæ**

Modus absolvendi, tempore lubilæi, quando datur facultas absolvendi à censuris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41233**

tuis, in nomine Patris **¶**, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

*Si pœnitens sit laicus, omittitur verbum Suspensionis.*

Passio Domini nostri Iesu Christi, merita beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

*In confessionibus autem frequentioribus & brevioribus, omitti potest, Misereatur, &c. ac satis erit dicere: Dominus noster Iesvs Christus, &c. ut supra, usque ad illud, Passio Domini, &c.*

*Vrgente verò aliqua gravi necessitate in periculo mortis, breviter dicere poterit:*

Ego te absolvo ab omnibus censuris & peccatis, in nomine Patris, &c.

*Modus absolvendi tempore Iubilæi, quando datur facultas absolvendi à censuris.*

Misereatur tui omnipotens &c. Dominus noster Iesus Christus, &c. & ego autoritate mihi ab eo concessa, & ex commissione Apostolica, Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, & ab omnibus Ecclesiasticis censuris, si quas incurristi; & restituo te communioni & unitati fidelium, & san-

&tis

Etis Sacramentis Ecclesiæ: deinde, eadem autoritate, Absolvo te **+** à peccatis tuis.

Nota bene. Noverint hic Confessarii, quando in Bullis Pontificiis datur facultas absolvendi ab omnibus Censuris, se nihil idcirco posse in causis irregularitatis, nisi id quoque specialiter expressum & permisum eis fuerit.

### De Absolutione ab Excommunicatione in foro exteriori.

**S**i potestas absolvendi ab excommunicationis sententia Sacerdoti commissa fuerit à Superiore, & in mandato certa forma sit prescripta, illa omnino servanda est. Si verò in mandato seu commissione dicitur, In forma Ecclesiæ consueta absolvat; hæc servanda sunt:

Primo, ut excommunicatus ei, ob cuius offensam in excommunicationem incurrit, prius, si potest, satisfaciat. Quod si tunc non possit, sufficientem cautionem praestet; aut saltem, si eam praestare non potest, juret, se, cum primum poterit, satisfacturum.

Secundo, si crimen, ob quod in excommunicationem incidit, sit grave, juramentum ab eo exigatur de parendo mandatis Ecclesiæ, quæ illi fient pro tali causa: ac præcipue, ne deinceps delinquat contra illum canonem, vel decretum, contra quod faciendo, censuram incurrit.

Denique hunc absolvendi ritum observabit.

Pœnitentem, coram se genu utroque flexo, in humero (si vir fuerit,) usque ad camisiam exclusive, denudato, virga aut funiculis, sedens, leviter percutit, dicendo totum Psalmum, Miserere mei Deus, &c. cum Gloria Patri, &c. Deinde surgit, &, aperto capite,

dicit: